Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2697

Quelle:
Copyright:

De Herois ſui Natalibus:

Clare vir Henrice qui de clara genitrice
Et patre preclaro generatus es omine raro
Te mons eccleſie dat alumpnum philoſophie.

Montem Eccleſiae Kirchberg interpretor. Itaque aut Locus aut nobilis Familia hujus nominis *Henricum* hunc protulit, cujus inſignes in Artibus liberalibus progreſſus, aditosque Philoſophiae addiſcendae cauſſa *Pariſios* Poeta deinceps celebrat, ſubditque inde *Romam* ad ſacra ſtudia contendiſſe. Atque hic Papa quaerit:

Si quisquam ſciret qua gente vir iſte veniret
Qui tam prudenter incederet atque decenter.

Tunc ait Hermannus quem ſignatus cruce pannus
Veſtit et ad poſtes pape ſtat vt arceat hoſtes:
Iſte placens iuuenis pater annis iam duodenis
Perſtitit in ſtudio ſuffultus munere dio
Huc adit vt ſenſi de villa pariſienſi
Eſt bonus artiſta. (Papa.) *Sacra curia quid facit iſta.*
(Herm.) *Venit ſcrutari ſacrosque viros venerari*
Et contemplari quia ſcit bene philoſophari
Eſt homo theutonicus divine legis amicus
Moribus eſtque katho perfecto dogmate plato
Tulius eſt ore nitet ut menelaus honore
Preclarus genere nec ut arbitror indigus ere
Sterlingis plena ſua turget credo crumena.
(Papa) *Ergo vocare ſtude.* &c.

Ad *Sterlingos* notatur in margine: *Sterlinge ſunt denarij vngarie.* Male. Sed *Henricus Pariſiis* venerat, ubi monetis *Anglicis* tunc curſus. Papa benevole accepto Canonicatum Eccleſiae *Nuenburgenſis* (Naumburg) confert, repugnant tamen Canonici, quod *Henricus* parum curat, ſubdente Poeta:

Neuburgenſes et verius erbipolenſes
Per maris et terre te vellent per loca ferre
Vt dignarere penes ipſos iura docere
Caute feciſti quia diſcere plus voluiſti.

Quare relicta *Roma Bononiam* et inde *Patavium* petit inter Profeſſores Iuris teſte Noſtro adlectus, qui addit: